3 1761 08825151 7

~~cl. gr. 774~~

Displeum

LGr
P546Nz.2

PHILEMONIS GRAMMATICI

QUAE SUPERSUNT

VULGATIS

ET EMENDATIORA ET AUCTIORA

DEPARTMENTAL LIBRARY.

EDIDIT

FRIDERICUS OSANN

PROFESSOR IENENSIS.

ACCEDUNT ANECDOTA NONNULLA GRAECA.

DOUBLE

BEROLINI

SUMPTIBUS FERDINANDI DUEMMLERI.

MDCCCXXI.

KIELER
UNIVERSITAETS
BIBLIOTHEK
24840
19/9/92

E. H. BARKERO

DIGNO H. STEPHANI AEMULO

CUI

THESAURUM LINGUAE GRAECAE

ABSOLUTISSIMUM

POSTERITAS DEBEBIT

HASCE SYMBOLAS

OFFERT

EDITOR.

E. H. BARKER

DIGNO H. STEPHANI AMICO

ET

THESAURUM LINGUAE GRAECAE

ABSOLUTISSIMUM

POSTERITAS DEBEBIT

HASCE SYMBOLAS

OFFERT

EDITOR

PROLEGOMENA.

Si cui unquam libro opus patrono fuit, cuius tutela foras prodiret, huic profecto fuisse facile sensi, qui laborem meum ipse praeviderem ab iis, qui de Philemone Grammatico ex opinione ante concepta iudicarent, non eo, quo maxime vellem, hospitio exceptum iri. His non multum me prementibus, tamen aequis iudicibus, qui nullum licet minimum litterarum antiquarum penitius cognoscendarum adiumentum adspernantur, quum probari meam rem vehementer cuperem, summo studui opere ut laborem meum susceptum ex ipsa eius indole apud eos defenderem, persuasus, nisi ita, alio nullo modo probatum iri. Quem in finem Philemonis Lexico praeire haec Prolegomena iussi, quibus, licet iusto longiora alienas hic illic in terras excedant, quis auctor Philemo fuerit, dignusne lectu et usu sit, obque quam rem typis iterum describi eum intenderim, ac-

curate explanarem; quo munere tamen monendum est me ita functum esse ut, re ipsa nude tradita iudicium aliis permissum ipse retinerem. Quae dicenda autem essent, ita in tres partes dividi commodissime posse visa sunt, ut prima de Philemone Grammatico, altera de eius Lexico technologico, denique tertia de nova hac editione eiusque incrementis exponeretur.

I.

Complures in antiquitate floruere Grammatici eodem *Philemonis* nomine adpellati, quibuscum etsi Nostrum commune nihil habere ex iis, quae in eorum memoriam a veteribus traduntur, sponte appareat, tamen inutilem rem haud credidi acturum me esse, si quae de iis hic illic sparsim legerentur, diligenter collecta accuratius hic disponerem.

Antiquissimus aetate fuisse is Philemo videtur, cuius Συμμίκτοις εἰς Ὅμηρον, a Porphyrio Quaest. Hom. 8. laudatis, Didymus in recensendo Homero usus est: unde de eius aetate coniecturam capere facile possis. Quo Didymo teste in Schol. Venetis Iliad. β, 258. Philemo hic propter accuratam, quam Homero resti-

tuendo adhibuerit, operam insigne *Critici* nomen promeruit, quod non nisi eo doctrinae genere praestantioribus tribui solitum *. Atque eo igitur commode referas, quod iste in Scholiis Venetis Iliadis subinde τοῦ Κριτικοῦ nomine adpelletur, cuius corruptelam utrum incuriae Villoisoni, an librarii errori rectius tribuas, in medio relinquimus **. Quare alium huius

* V. Villoisoni *Prolegom. ad Iliad.* p. XXXIII. et *Anecd. Graec.* T. 2. p. 136. De cognomine in universum legenda adnotavit Wolfius *Proleg. in Homer* p. CCXXXIV. Qui honoris titulus praeter alios etiam Crateti Mallotae, ut alios taceam, obtigit, teste Eudocia Violar. p. 273. Ἔστι δὲ καὶ ἕτερος Κράτης Τιμοκράτους, Μαλλώτης φιλόσοφος Στωϊκὸς, ὃς ἐπικληθη Ὁμηρικὸς καὶ κριτικὸς, διὰ τὴν περὶ τοὺς γραμματικοὺς καὶ ποιητικοὺς λόγους ἐπίστασιν. Ita *Criticus* adpellatur Philoxenus Alexandrinus in Schol. Ven. Iliad. α, 575. de quo v. Epimetrum II.

** Diversa haec pronunciandi Graece ratio ut alibi, ita etiam describendis his Scholiis fraudi saepe fuit, cuius egregium libet hic apponere exemplum. Affertur ad ο, 705. Sophoclis versus e Tereo, fragmentis a Brunckio collectis addendus,

Ἥλιε, φιλίπποις θρῃξὶ πρεσβιστὸν σέλας,

quem a Villoisono Proleg. p. III. atque hinc ab Heynio *Observ. in Iliad.* T. 7. p 120. suo vitio repeti, mirari non satis possum. Rem enim fabulae in Thracia agi quum constet, Θρῃξὶ latere, nemo non intelligit. Atque Thraces alibi saepe φίλιπποι audiunt: ita Euripides Hec. 426. Herm.

ὅ, τ' ἐν φιλίπποις Θρῃξὶ Πολύδωρος κάσις.

Adde v. 9. 695. 1064. 1065.

nominis Grammaticum Aexonensem quo minus ab illo nihil diversum esse cum Villoisono credamus, nihil obstat: quamquam hoc neque affirmare, neque negare contenderim, quum praesertim si rem, quam Aexonensis ille potissimum scripto tractarit, accuratius examines, tam diversi generis studia invenias utrumque sequutum esse, quae in eoden homine conciliari posse fere neges. Aexonensis enim istius Grammatici libro, qui variis nominibus περὶ Ἀττικῶν ὀνομάτων, περὶ Ἀττικῶν γλωσσῶν, Ἀττικαὶ φωναί, Ἀττικαὶ λέξεις, περὶ παντοδαπῶν χρηστηρίων passim laudatur, nonnisi quae usum domesticum, maximeque culinam spectarent contenta fuisse videntur, quantum e fragmentis apud Athenaeum crebro obviis licet coniicere: v. 1. p. 11. D. 3. p. 76. F. p. 114. D. 11. p. 469. A. p. 473. B. p. 483. A. p. 486. E. 14. p. 646. C. p. 652. E. Quidquid autem huius rei fuerit, id demonstratione egere vix crediderim, auctorem Lexici technologici, quod recentiora attingere tempora infra docebitur, neutrum esse posse, quamquam eorum aetas accurate definiri hodie non potest, nisi coaevum Alexandri M. Philemonem illum velis cum Villoisono adpellare, cuius sententiam iusto fundamento carentem video non magis

Goellero arrisisse in Thierschii Actis vol. 2. fasc. 3. p. 343.

His tertius accedit Philemo, Maximini iunioris praeceptor, a Capitolino vit. Maximin. iun. 1. laudatus, quem cum Nostro commune nihil habere posse, erudite docuit Schneiderus in Walchii *Philologische Bibliothek* T. 2. Part. 6. p. 523. De quarto denique Philemone, qui Nostrum haud magis attinet, infra dicetur.

Praeter hos Philemones quum alius eius nominis mihi quidem nullus adhuc innotuerit, qui ubi de Lexici technologici auctore quaeritur, in censum veniat, ad ipsum opus tanquam unicum fontem necessario deferimur accuratius examinandum, num quid definiendae auctoris aetati hinc redundet. E recentioribus enim, quantum ad nostram quidem pervenit notitiam, hunc locum si Schneiderum Saxonem excipias nemo tractavit; qui l. c. ubi Apollonii Lexici Hom. a Villoisono editi censorem iusto iniquiorem agit, et posthac ad Fragm. Pindari p. 101. Eustathium praepropere adnotavit a Philemone exscriptum esse. Hanc viri sollertissimi sententiam nostratibus probari coe-

ptam *, quum tali argumento nitatur, quali ad contrarium demonstrandum uti fere possis, non opus visum est data opere refellere. Peropportune igitur accidit, ut Philemo, quem quodam modo sui memoriae prospicere voluisse fere dicas, Lexico prooemium Antiphani inscriptum praefigerit, unde etsi de ipso Antiphane eiusque aetate nihil compertum habeamus, tamen memorata Hypereschii Grammatici cuiusdam Alexandrini Technologia factum ut de Philemonis aetate opinionem certe liceat habere.

De Hypereschio hoc non longe quaesieris, quum dubitari non possit, quin idem homo sit qui Alexandria oriundus Marciano imperatore Grammaticam professus, postremo post Marciani obitum a Leone eius successore, cuius filiam Eudociam litteris ab illo eruditam esse tradit Tzetza **, in exsilium teste

* V. Passovii librum perutilem *Grundzüge der Griech. und Röm. Litteraturgeschichte* p. 46., ubi Philemo circa a. 1170. vixisse traditur.

** Chiliad. 10, 305, 57.

Ὡς που καὶ ἡ βασίλισσα ἐκείνη Εὐδοκία,
ἡ τοῦ μεγάλου Λέοντος ἡ πάνσοφος θυγάτης
γραμματικοῖς μαθήτρια οὖσα Ὑπερεχίου,
ποτὲ καὶ τοῦ Ὡρίωνος μικρὸν ἀκροωμένη,

Suida v. Λέων T. 2. p. 428. missus sit. Idem alio loco * de eodem haec narrat: Ὑπερέχιος, Ἀλεξανδρεὺς γραμματικὸς ἐπὶ τῶν χρόνων Μαρκιανοῦ τοῦ βασιλέως ἔγραψε τέχνην γραμματικὴν, περὶ ὀνομάτων **, περὶ ῥήματος, καὶ ὀρθογραφίας. Quem iam Marcianum quum e Petavii ratiocinatione temporum manifestum sit anno 450. imperii potitum esse, quod eo mortuo Leo septem post annis exceperit regnaveritque usque ad a. 474., quo diem supremum obierit, uti de aetate, qua Hypereschius maxime floruerit, dubium ullum esse vix potest, ita etiam ea, quam Philemonis aetas superare non possit, epocha certo definitur: quare huic temporum computationi solus alter terminus addendus restat, inventu eo difficilior, quo coniecturarum, quibus unice relinqueris, ratio incertior. De hominis nomine, qui plerumque *Hyperechius* adpellatur, adnotandum nos Philemonis codicem sequutos *Hypereschium* analogiae magis consentaneum arbitrari.

ῥητορικοῖς ἑτέρων δὲ, καὶ φιλοσόφοις ἄλλων.
ταῖς μεταφράσεσιν αὐτῆς ταῖς δι' ἐπῶν, εἰρήκει.

* T. 3. p. 711. Caeterum utroque Suidae loco an de eodem Hypereschii sermo sit, sine causa idonea dubitatur a V. D. in *Classical Journal* vol. 7. p. 39.

** Hunc Hypereschii libellum suspicor a Philemone significari.

Alteram temporis epocham, quam Philemonis aetas non transmigraverit, definiendam testimonia scriptorum, ut iam diximus, ita deficiunt, ut nisi menti coniectrici dari quid posse concedas, ab ultra progrediendo tibi omnino abstinendum sit. At collecto animo via coniecturarum leviter strata incedens, collatis inter se et Lexico technologico et Etymologico M. statim intelliges, alterutrum, quum contentorum triens in utroque fere isque ad verbum saepe repetatur, quovis Philemonis loco studiose a nobis notatus, non posse ab altero ita profecisse, ut quem eviceris ab altero expilatum esse, anteriorem aetate necessario agnoscas. Quam rem anteaquam ultra persequar, necessarium videtur, Etymologici aetatem suis finibus, quatenus fieri potest, arctius circumscribi.

De tempore igitur, quo Etymologicum M. compositum sit, etsi vix accuratius quam de ipso eius auctore * constet, tamen post Sylburgi in praefat. p. IX. ed. Lips. ratiocinationem videtur mihi extra omnem dubitationis aleam positum esse, Etymologum, si quis unus

* Corsini enim Andromachum quendam suspicantis sententiam *Fast. Attic.* T. 1. diss. 1. p. 386. aliquantum labefactavit Harlesius ad Fabr. Bibl. Gr. T. 6. p. 601.

auctor fuit, saeculo decimo usque ad Eustathii circiter aetatem vixisse. Quem calculum nova argumentatione comprobatum etiam nuper evicit doctus quidam Britannus in *Quarterly Review* 1820. Nr. XLIV. p. 307. seq., non sine eruditionis laude nominandus. Eustathio Etymologicum M. non multo esse posse anterius, inde quoque fortasse colligitur, quod Varinus Camers in Epistola commendatoria ad Petrum de Medicis ante Aldi *Hortos Adonidis* haud longe a fine ita utrumque iungat: διεξελήλυθα οὖν μετὰ πασῆς σπουδῆς ὅλον τὸν Εὐστάθιον, γραμματικὸν, δηλαδὴ εὔδοξον, καὶ τοῦ Ὁμήρου ἐξηγητὴν χρησιμώτατον· ἀνέγνωκα δὲ καὶ τὸ μέγα ἐτυμολογικὸν, καὶ ἄλλους τινὰς ἐξηγητὰς, κἀκ τούτων ἁπάντων ταῦτα τὰ καλὰ καὶ πάνυ ἀναγκαῖα σπουδαίων χάριν περὶ τὰ Ἑλληνικὰ ἐξελεξάμην. Theodosium igitur Grammaticum, cuius e grammatica inedita codicis Reg. Paris. 2555. Bekkerus ad Apollonium de constructione, p. 355. praeter alia etiam haec publici iuris verba fecit, huic argumento sane nocitura, τὰς δὲ ἐτυμολογίας αὐτῶν καὶ τὰς παραγωγὰς εὑρήσεις ἐν τῷ μεγάλῳ ἐτυμολογικῷ, sponte patet non posse esse eundem Alexandrinum eiusdem nominis ab eruditione clarum litteratum, quum in huius grammaticam scholia constet scripsisse

Georgium Choeroboscum, quem haud serius quam quinto p. Chr. n. saeculo floruisse docuit Villoisonus *Anecd. Graec.* T. 2. p. 103. Atque Alexandrini Theodosii aetas etiam arctioribus circumscribi potest finibus, quum post Dionysium Thracem, qui an Aristarchi fuerit discipulus (v. Villois. *Anecd. Graec.* T. 2. p. 171.) cur dubitetur non satis caussae est, Theodosium Alex. inclaruisse, certissimo proditum sit testimonio: v. Theodosii Grammatici fragmentum Epimetro I. editum p. 302. Huius autem tempore Etymologicum M. iam vulgatum fuisse quum ex ipsius operis indole credibile non sit, firmissimumque argumentum ex eo colligatur, quod ad Georgii Choerobosci auctoritatem ab Etymologo nonnunquam provocetur: facile sequitur, alium necessario esse Theodosium, qui Etymologici auctoritate uti recte potuerit.

Philemonem, ad quem revertor, Schneiderus l. c. praeiudicata opinione ductus quum Etymologici M. expilatorem dicit, rem haud satis perpensitasse videtur. Nam hac in re ita lubrica est omnis iudicandi ratio, ut etiamsi verbis concisiorem pro seriori velles habere, litem hanc candide decernere nequires. Ne tamen, quod alterutri sententiae calculum ad-

iicere quodammodo possit, sciens reticuisse videar, locum ex Etymologico ipse profero, quo Philemonis Grammatici cuiusdam auctoritas his verbis affertur, p. 563,32. Λήδιον Φιλήμων φησὶν σημαίνειν εὐτελὲς χιτώνιον ἢ χλανίδα παλαιάν. Hoc loco si velles ad convellendam Schneideri sententiam uti, sane posses: at quum huius observationis in edito Philemone nullum reperiatur vestigium, neque Philemo Grammaticus ab Etymologo alibi memoretur, ita ut etiam de lectione nominis iure tuo dubitare possis, Aexonensem Philemonem, de quo supra dictum, malui hic agnoscere. Contra haud raro accidit ut ubi utriusque Grammatici praecepta concinant, ad testimonia Philoxeni Grammatici vel etiam Philonis ab Etymologo provocetur, unde in eam sententiam fere trahare, hos duos Grammaticos utrique pro communi fonte fuisse, e quo solus sua quisque hauserit: v. quae ad §. 5. p. 6. §. 47. p. 35. alibi et in Epimetro II. adnotavimus. De aliis scriptoribus antiquis, qui Philemoni aliisque huius classis Grammaticis communes fuissent eruditionis fontes, ita ut ubi Grammaticorum saepe verba conspirent, ab altero necessario sublecta esse non putanda sint, idem demonstravit Britannus haud ineruditus in

Mus. Crit. Cantabr. vol. 1. p. 124. seq., ipsius sententiae de aetate Philemonis in saeculum X depellenda scite addens hanc ob caussam non multum tribuendum esse. Eo igitur redeunte re, ut Etymologo recentiorem Philemonem arbitrari nullo modo cogamur, videndum annon aliunde argumenta colligi queant, quibus contrarium demonstretur: neque desunt, quamvis uti in re dubia ab omni parte haud evidentia.

Ex modo enim, quo Philemo in prooemio Hypereschii grammaticam memorat, sponte apparet, de libro eum loqui, qui celebritatem quandam nactus, studiosorum cuiuslibet ordinis manibus magnopere etiamtum Philemonis aetate usurpatus sit. Institutionem autem hanc Hypereschii grammaticam num credibile videtur a sexto usque ad undecimum ferme saeculum, quo demum Etymologicum M. ex vulgari opinione a Philemone expilatum, compositum esse supra demonstravimus, tam frequenti scriptorum de rebus grammaticis concursu et certamine perdurasse, tanta apud posteros existimatione propagatam, ut spatio quinque ad minimum saeculorum demenso eam tandem aliquis vulgari usui minus convenire videri intelligeret pronuntiaretque? Haec mihi qui-

quidem res videtur vel a veritatis specie adeo abhorrere, ut etiam si aliquo testimonio firmaretur, meo quidem suffragio numquam probaretur. Immo quum Hypereschii memoriam, a solis Suida et Tzetza posteris traditam mirum fuerit ita prorsus abolevisse, si quidem eius scripta tantopere ab aequalibus et posteris quaesita fuisse vere existimandum sit, in contrariam potiori iure ibis sententiam eo veri similiorem, quo a vero alieniorem ista nullam fere dixeris. Contra non longe eum credide-rim a vero aberrare, qui e quaesito vituperii modo, quo Philemo adversus Hypereschium utitur, simultatem suspicetur peculiarem inter utrumque intercessisse, quae coaevos eos fere cogat arbitrari. Cui coniecturae aliquantum comprobandae afferri potest, ex Orionis Grammatici scriptis, quae a serioribus grammatices auctoribus, omnium maxime ab Etymologo M. frequenter laudantur, Philemonem copias suas monstrato subsidiarum fonte undequacunque colligentem, nihil nominatim mutuatum esse, quippe quum Orionem cum Hypereschio una eademque aetate eodemque, ut videtur, loco degisse Tzetza loco supra descripto diserte tradat. V. etiam Editores Orionis Etymologici in operis fronte.

Quae argumenta etsi ipse intelligo tantum non valere, ut Philemonem cum Hypereschio eandem aetatem attigisse certo evincant, tamen quo minus Philemonis vita citra Etymologi M. aevum depellatur, minime patiuntur: quodsi hac demonstratione liquet, etiam plus virium argumentum nanciscitur a dicendi genere, quo Philemo usus sit, petitum. Hoc enim si cum Etymologici locutione comparaveris, a vitiis seriori demum aevo propriis nonnihildum liberum, necdum vulgari usu tam pessumdatum adpellandum tibi videbitur, qualem exeunte medio aevo graecitatem, exuta pristina et ubertate et severa sermonis recepti observantia perhorrescimus. Quae linguae ingravescente paullatim aevo corruptela, quae ipsa elementa Graeci sermonis transmigrari sineret, per totum Etymologicum M. sparsa, iam in Orione increbescens, in Philomone raro admodum notatur: cuius rei solum equidem locum memini §. 245. p. 170. οἱ εἰς τὰς τρώγλας οἰκοῦντες. Denique Philemonem si e vulgari doctorum opinione saeculo XII. vixisse ponerés, praeceptum eius §. 261. p. 184. vocem φιλήτης ex Hesiodo laudatam spectans, quod τισὶ τῶν παλαιῶν σχολιαστῶν se debere ipse adnotavit, in Io. Tzetzae scholiis ad Hesiodi

Op. 375. p. 88. ed. Heinsii, quae Philemonem Tzetzae proximo saeculo succedentem latere non poterant, inveniri vix expectares.

Huic Philemonis aetatis computationi quod adversari videatur, nihil equidem novi nisi id unum, quod Λεξικὸν opus ipse suum auctor adpellaverit, quum ante Etymologicum M. *Lexici* nomen nondum percrebuisse V. D. in *Quarterly Review* a. 1820. No. XLIV. p. 305. evicerit, huius generis scripta sagaciter adnotans *Lexicorum* nomen mentiri, aliter suo tempore ab auctore inscripta *. Quae etsi in universum disputata verissima sunt, tamen multum abest ut argumento inserviant, quo quod proximis Chr. n. saeculis factum esse non videatur, quinto vel sexto demum fieri recte potuisse negetur. Nec desunt exempla, quae multo anteriora tempora attinent, uti Helladii, Iuliani, Pausaniae scripta a Photio Bibl. p. 317. 320. 321. ed. Schott, *Lexicorum*

* Ita Meursii codicem sequutus V. D. Harpocrationis Lexici titulum profert veriorem Λέξεις τῶν δέκα ῥητόρων, quicum fere consentit codex Vratislaviensis gymnasii Magdalenensis inscriptus, Ἁρποκρατίωνος περὶ τῶν λέξεων τῶν δέκα ῥητόρων. Caeterum vario nomine apud veteres hoc Harpocrationis opus adpellatum fuisse, unus Lascaris docere potest, in Grammatic. §, 21 τὰς τοῦ Ἁρποκρατίωνος ἐκλογὰς citans.

nomine citata. Num putandus Photius haec nomina antiquo tempore inaudita de se omnia invenisse? Non tamen reticebo Lexici rhetorici, Pausaniae recte, ut videtur, a nobis tributi *, titulum pristino nomine Ἀττικῶν ὀνομάτων συναγωγῆς a Scholiasta Thucydidis 6, 27. laudari.

II.

Ab aetate Philemonis constituta ad ipsum iam deferimur opus, quod ne integrum quidem ad nos pervenisse, primo intuitu apparet. Quantum autem interciderit ex iis prooemii verbis, quibus totius operis dispositio declaratur, luculenter erui potest: ἔγνων σύνταγμά τι κατὰ στοιχεῖον, οἱονεὶ Λεξικὸν τῶν ὀκτὼ μερῶν τοῦ λόγου, σύνταξιν καὶ τεχνολογίαν τινὰ Γραμματικῆς περιέχον ἐγχειρίσαι σοι. Hinc enim universam grammaticam doctrinam octo orationis partibus circumscriptam hoc opere ab auctore patet traditam fuisse, adque ordinem lexici alphabeticum digestam. Quae vero fuerint hae octo orationis partes, Grammaticus nugator adhibito versu Iliad. χ, 59. lepide do-

* V. quae adnotavimus ad §. 152. p. 100. Cf. Franck. ad Callinum p. 78.

cuit, e codice Harleiano excerptus a Kiddio ad Dawesii *Misc. Crit.* p. 304. Ἔστι δὲ Ὁμηρικὸς στίχος, ἔχων τὰ ὀκτὼ μέρη τοῦ λόγου·

πρὸς δ' ἐμὲ τὸν δύστηνον ἔτι φρονέοντ' ἐλέησον.

τὸ μὲν γὰρ πρός ἐστι πρόθεσις· τὸ δὲ σύνδεσμος· τὸ δὲ ἐμὲ ἀντωνυμία· τὸ τὸν ἄρθρον· τὸ δύστηνον ὄνομα· τὸ ἔτι ἐπίρρημα· τὸ φρονέοντα μετοχή· τὸ ἐλέησον ῥῆμα. Cui Graeco versui liceat Latinum memorialem exadversum ponere decantatissimum:

Vae tibi ridenti qui mox post gaudia flebis.

Quo iam ordine hae orationis partes inter se collocatae sint, ita ut etiam de Philemonis Lexici dispositione iudicare possis, colligitur ex Schol. in Dionys. Thrac. Artem ap. Bekker. *Anecd. Gr.* T. 2. p. 840. Τοῦ δὲ λόγου μέρη εἰσὶν ὀκτώ· ὄνομα, ῥῆμα, μετοχή, ἄρθρον, ἀντωνυμία, πρόθεσις, ἐπίρρημα, σύνδεσμος: quae affero quum apud Latinos absente Articulo diversa ordinis ratio usurpari solita sit, quae tamen ad Graecorum descriptionem octo partium orationis conformata quodammodo est. Charisius 2. p. 125. *Orationis partes sunt octo: nomen, pronomen, verbum, adverbium, participium, coniunctio, praepositio, interiectio.* Accuratius Aelius Donatus *Editione secunda* p. 1743. Putsch. *Partes orationis sunt octo: nomen,*

pronomen, verbum, adverbium, participium, coniunctio, praepositio, interiectio. Ex his duae sunt principales partes orationis, nomen et verbum. Latini articulum non adnumerant, Graeci interiectionem. Multi plures, multi pauciores partes orationis ponunt: verum ex his tres, quae sex casibus inflectuntur, nomen, pronomen et participium.* Etiam de ipso numero partium orationis tempore, quod hanc recentiorum Grammaticorum aetatem praecedit, ab antiquioribus criticis disceptatum esse, adnotavit Priscianus 2. p. 574. seq. (T. 1. p. 66. sq. ed. Krehl.) Harum orationis igitur partium quum e Lexico technologico priores tantum duae *περὶ ὀνομάτων* et *περὶ ῥημάτων*, harumque altera a fine mutila aetatem tulerint, deperditis reliquis sex quid contentum fuerit, certa adsequi iam licet coniectura.

Alter autem Lexici liber quum *περὶ ῥημάτων* inscriptus sit, fierique facile possit ut doctorum aliquis in Etymologico M. Philonis

* Ita pro vulg. *putant* emendavi auctoritate editionis limatissimae Coloniae per Ioh. Soterem 1536. evulgatae, quo volumine una Diomedis opus continetur. Etiam attinet adnotare, in hac editione omitti Donati loco c. voculam *sex*, quae librariorum sapientiam satis redolet.

cuiusdam ῥηματικὸν saepe citari animadvertens*, eo adducatur, ut Nostri περὶ ῥημάτων libellum significari credat, id quod primum Villoisono ad Apollon. Lex. Hom. p. LXVIII. mox meliora edocto re vera accidit, verbo monendum est ut Philonis ῥηματικὸν cum nostro nihil commune habeat, ita ne *Philonis* quidem nomen ab omni suspicione corruptelae mihi liberum videri. Nam sedulo anquirenti mihi Philonum unus tantummodo Grammaticus Byblius se obtulit, quem Eudocia Violar. p. 424. alia multa scripsisse narrat a Lexici argumento admodum recedentia, uti epigrammata, περὶ κτήσεως καὶ ἐκλογῆς, περὶ πόλεων **, καὶ οὓς ἑκάστη αὐτῶν ἐνδόξους ἤνεγκε, περὶ τῆς βασιλείας Ἀδριανοῦ, quibus adde opera a Meursio ad Hesychium Milesium p. 217. laudata.

Denique ordo κατὰ στοιχεῖον animadvertendus est, quem auctor in disponendis sin-

* En tibi locorum ipsam congeriem, quam ne expavescas moneo, nomen Philonis plurimam eorum partem ad finem commatis positum esse, quo scribendi compendiorum liberiorem plerumque scribae usum sibi permiserunt: p. 43, 15. 164, 49. 255, 32. 13, 34. 53, 7. (Phav. p. 100, 42.) 63, 55. 94, 44. 99, 5. 191, 55. 192, 10. 256, 30. 316, 35. (Phav. p. 559, 44.) 478, 4. 4, 9. 20, 29.

** De hoc eius scripto si plura cupis, adeas Meursium l. c. p. 218. Palmerii *Graeciae antiq. Descr.* p. 118.

gulis vocabulis sequutum se esse ipse in prooemio significavit. Hunc enim apud antiquos Lexicographos solitum ordinem κατὰ στοιχεῖον dictum quum Burneius haud satis perspiceret, textum scriptoris, ubicunque usitatam apud nostrates vocabulorum seriem migrari videret, transponendis vocabulis et in iustum scilicet locum redigendis misere saepenumero turbavit, quod ad §§. 115. 118. 156. adnotavimus: quamquam editor Anglus propositi sui hic illic aut minus memor, aut minus tenax fuit, uti §§. 83. 84. 85. 131. 156., quae loca reliquit intacta. Hic enim vocabulorum ordo κατὰ στοιχεῖον vulgo adpellatus non is erat, quo quodvis vocabulum ad singulam quamvis litteram exactum e serie apud nos alphabetica dicta locum inveniret, sed liberior ille, quo initiales vocabulorum litterae vel prima vocis syllaba tantummodo respicerentur: quod omnia quae supersunt Lexica Graeca affatim confirmant, quorum equidem nullum novi secundum litteras more huius aetatis dispositum. Atque eo quo diximus significatu ordinem κατὰ στοιχεῖον veteribus dictum fuisse, cum ex ipsa re patet, tum etiam Eustathii auctoritate comprobatur, de Suidae Lexico ad Iliad. λ. p. 834. ita disse-

rentis: ὧν τὸ μὲν παρὰ Ἀριστοτέλει κεῖται καὶ τισὶν ἄλλοις, τὸ δὲ ἐν τῷ κατὰ στοιχεῖον μεγάλῳ βιβλίῳ τοῦ Σουΐδα. Ita Helladii Lexicon hodie deperditum Photius Bibl. Cod. CXLV. p. 317. ed. Schott. κατὰ στοιχεῖον compositum esse narrat, his additis: οὐδὲ κατὰ πάσας τὰς συλλαβὰς τὴν τοῦ στοιχείου τάξιν φυλάττει, ἀλλὰ κατὰ μόνην τὴν ἄρχουσαν. Pariter Timaeus Lexicon in Platonem eadem κατὰ στοιχεῖον ratione disposuisse se in prooemio p. 3. narrat, quae quomodo ei cesserit, propalam est. Atque quum idem Timaei Lexicon etiam a Photio l. c. p. 321. inter ea quae κατὰ στοιχεῖον elaborata essent, relatum sit, facile patet reliqua quae eodem modo esse concepta idem tradat lexica, Pollionis *, Pausaniae, Boethi Dorothei, Phrynichi Arabii quo ordine fuerint composita. Interque eiusdem ordinis κατὰ στοιχεῖον lexica idem Photius l. c. cod. CLVII. p. 324. etiam Moeridis Atticistae glossarium refert, quod quoquam vix contineri dixeris

* Ex hoc Photii loco nomen suum restitue Grammatico, qui vulgo Πωλίων audit, inter eos Grammaticos memorato, quos Suidae lexicon composuisse insigni tradunt errore in fragmento antiquo, quod Suidae lexico Kusteriano praefigitur: ibi enim habes: Πωλίων, Ἀλεξανδρεύς, Ἀττικῶν λέξεων συναγωγὴν κατὰ στοιχεῖον. Nempe Πολλίων effertur Graece hoc nomen: v. Eckhel. *Doctr. rei num.* T. 2. p. 471.

ordine. Denique attinet proferre Photii Lexicon, in quo litterarum non magis servatur ordo, quamquam in prooemio p. 6. auctor τὴν ἀναγραφὴν κατὰ στοιχεῖον se fecisse significat. Vide etiam aliud Photii lexicon κατὰ στοιχεῖον factum post Etymol. Gud. editum p. 593., non magis ad ordinem alphabeti dispositum, et Thomae τοῦ μαγίστρου κατ' ἀλφάβητον ὀνομάτων Ἀττικῶν ἐκλογάς. At iam satis exemplorum, quorum pars suffecerit. Lexicorum igitur Graecorum disponendorum ratio si ita, ut dixi, apud veteres ipsos habuit, iure ii reprehendi videntur, qui in edendis Lexicis commodo lectorum magis, quam veterum scriptorum memoriae prospiciendum esse arbitrantes, vocabula extra vulgarem alphabeti seriem posita iusto suo loco vindicare studuerint, id quod in Harpocratione Blancardus, in Moeride Hudsonus fecerunt, cum ab aliis, tum a Villoisono notati ad Apollon. Lex. Hom. p. XLIII. Nos igitur in Philemone ordinem verborum e Codice fideliter reddendum satius duximus.

III.

His praemissis iam restat ut editionis Anglicae, quae auctore Carolo Burneio Londini a. 1812. forma 8va prodiit, meaeque curae typis repetendo huic Philemonis operi adhibitae rationem reddam: quod munus etsi invitus subeo, tamen necessario a me subeundum ideo putavi, quod qui de labore hoc meo recte suscepto perfectoque dubitarent haud defore, facile praevidereni. Iterum autem edito hoc Philemonis Lexico exsolvi quodammodo mihi visum est votum primi editoris, quod quum quatuorviris clarissimis et ingenio et eruditionis laude florentissimis, Iacobo Henrico Monk, Petro Paulo Dobree, Carolo Iacobo Bloomfield et Ioanni Kaye, Cantabrigiensibus, opusculum in plagula titulum operis excipiente commendatoria Grenovici Kal. Iul. 1812. inscriberet, simul sperans protulit fore ut almi Cantabrigiensis litterarum ludi alumnus aliquis Philemonem notis illustratum in lucem denuo emissurus brevi exoriatur. Cui voto quum, quantum nos sciamus, neque Cantabrigiensium doctorum quisquam ad hoc usque tempus suffecerit, neque aliunde suffectum iri spes usquam monstrata sit, editor Britannus huic negotio rite

absolvendo extraneum quendam litterarum antiquarum cultorem suam qualemcunque impendisse operam, non aegre feret. Atqui tam singulari ratione in adornanda Philemonis editione principe Burneius usus esse videtur, ut quod laudibus viri de litteris haud mediocriter meriti nihil detrahens dicere cogare, omnem laborem cum messe futuro editori gentili repetendum de consulto ipse reliquisse putandus sit: neque aliter etiam ipsius amici iudicare potuerunt, qui editionis censuram in Museo Critico Cantabrignensi et in Classical Iournal l. c. gesserunt. Nam iustum editoris officium ita aut ignorasse prorsus aut sprevisse videtur, ut nisi Burneii fides aliunde constaret, nae turpissimae temeritatis aut ignorantiae crimine vapularet. Praeter enim titulum, quo Lexicon e codice Parisino edi breviter indicatum est, et dicaturam, ne verbum quidem adiectum est, quo vel de auctore Lexici vel de codice eiusque scriptura expositum sit. Itaque factum ut curae eius, qui editoris munere denuo fungeretur, ea omnia mamximopere commendarentur, quae a Burneio vel relicta vel neglecta essent: in qua provincia administranda an cautiorem et probiorem me praestiterim, alii iudicabunt.

Codicem MS. Philemonis Lexicon technologicum continentem Parisiis in bibliotheca Regia, quo e Colbertina numeratus olim MCCLXVI. transierit, asservari n. MMDCXVI., diu rumor erat, praesertim ex quo tempore fragmenta hinc excerpta primum Cangius hic illic in *Glossario medio et infimae Graecitatis* *, multo uberiora post ea Villoisonus ad Apollonii Lex. Hom. ediderant. Inde nil mirum aliquot fragmenta ab iis, ad quos codicis notitia pervenerit, uti ad Dav. Ruhnkenium, Philemonis apographum dono a Villoisono oblatum possidentem, passim in usum conversa esse. Integer autem Philemonis codex typis descriptus quo minus publici iuris fieret, offecisse Bastii ** sententia videtur, qui quum Philemonis opusculum maximam partem, nisi integrum Lexico Phavorini Camertis contineri inveniret, curioso litterarum orbi satisfacturum iam eum censebat, qui vel operam Philemonis cum Phavorino conferendi suscipere vellet.

* V ad §. 179. p. 126. et §. 234. p. 183. De Ruhnkenii apographo vide Valckenar. ad Adoniaz. p. 402. B. (p. 248. ed. Berolinens.) et Tho. Kiddii Prolegomena Opusculorum Ruhnkenianorum editioni praemissa.

** V. *Epist. Crit.* 37. et in Bredovii *Epist. Paristens.* p. 56. Cf. *Mus. Crit. Cantabr.* vol. 1. p. 123. Wolfii *Litterar. Anal.* vol. 3. p. 96.

Quibus tamen Bastii monitis dives quis Anglus, ut narrant, quem ipsum suspicor C. Burneium fuisse, quo minus integrum Lexicon transcribi sibi curaret, haud moveri se passus est: unde haud multo post factum ut eo, quo supra monui, apparatu Londini in lucem publicam prodiret. Neque ipse Bastii invento a Philemone iterum edendo deterreri me passus sum, quum quod ille commonuit, plurimam Lexici technologici partem in Phavorino exstare quamquam ita se habeat, tamen neque omnia neque eodem modo fatendum est ibi excerpta esse, contra edito hoc Philemone Phavorini praeceptis iisque a fide suspectis ideoque fere neglectis auctoritatem scriptoris haud infimae aetatis addi. Editoris tamen esse putavi, ea Philemonis loca quae apud Phavorinum reperiantur, accurate adnotare: quod diligenter fecimus, etsi ubi Phavorinus a nobis citetur, id non ita intelligendum esse monemus, ac si eadem res totidem verbis a Phavorino repetatur. His autem inter se collatis non dici potest, quantopere genuinae utriusque Lexici scripturae restituendae redundet.

De codice addo, eum, nisi memoria me fallit, ab Angelo Vergetio, quantum e manus ductibus coniicere nobis licuit, scriptum esse

et nitidissime quidem: quae si recte monentur, de aetate codicis simul definitum est. Vide de celeberrimo hoc sui temporis scriba, cuius manui bibliotheca Parisiensis Regia ingentem codicum numerum debet, Sturzii Praefat. ad Lexicon Xenoph. T. 2. p. 5., ipsiusque manus specimen e cod. Paris. prolatum in Gailii *Oeuvres complètes de Xenophon* T. 7. Part. 2. Sect. 1. Tab. 12.

Si autem Lexico technologico edito litterarum antiquarum cognitio re vera adiuvari videbatur, ea id fide edi oportebat, qua quodvis veterum scriptum, quod primum in lucem emittitur, communis usus caussa necessario edendum esse, nunc demum omnes fere consentiunt. Scriptum enim antiquum, quum primum editur, aliam editoris manum postulat, aliam, si divulgatis iam ubique exemplaribus de fide et de genuina codicis scriptura dubitari amplius non potest. Cui sententiae satis erit testem protulisse God. Hermannum, cuius verba aurea e Praef. ad Draconem Stratonic. p. VII. non possum non legis instar hic describere: „Feci autem in Tzetza pariterque in Dracone quod mea sententia faciendum in omnibus est, quae primum eduntur, ut ipsam Codicis scripturam, quantumvis vitiosam exhi-

berem, quo ne, quod in Hesychio, Etymologo aliisque multis scriptoribus factum dolemus, de ipsa Codicum lectione dubitatio moveri posset.“ His plane contraria Burneius fecit, qui in reddenda Philemonis scriptura tantum sibi putavit concessum, ut Phavorini aut nescio cuius alius auctoris auxilio adiutus, si quid statim non placeret, demendo, addendo, mutando, translocando, quovis denique modo caussa et ratione mutationis ne verbo quidem indicata pro ludibrio suo corrigeret: quam tractandi rationem, in secunda, tertia scriptoris editione fortasse non tam acriter vituperandam, in principe nescio quo alio quam fraudis nomine adpellem. Qui Burneii error non tam ipsius, quam saeculi esse videtur, quod et alibi Anecdota Graeca vitiis cuiusvis generis misere scatentia simili apparatu protundi vidit, quibus, quum et fide et auctoritate iusta vacillent, nemo homo recte uti potest: cuius generis editores, ut nimii minutiarum studii crimen effugiant, arrogantiae et temeritatis malunt adcusari. Graecorum autem sequiorum saeculorum scripta grammaticam spectantia, quae imae litterarum classis iure censentur, quum prima eduntur, non ita edi, ut editione tanquam codice uti possis, eo magis dolendum est, quo is qui novae editionis

tionis curam subit, si quidem redemptorem sumptus praebentem reperiat, aut improbum ipse laborem quam maxime fugiendum suscipiat, aut chartam parcendam temere perdidisse iudicetur.

Igitur si Philemo quidem denuo edendus erat, nulla fere editionis prioris habita ratione e codice iterum describendus erat, quod a nobis summa diligentia factum quantopere restituendis scriptoris verbis profuerit, ita quaevis pagina docet, ut hanc demum editionem maiori iure principem adpellaveris. In excerpenda autem lectionis varietate ex ipso codice tam religiosus fui, ut nonnisi leviora uti ἀνὰ πάλιν pro ἀνάπαλιν et quae huius generis alia erant, omitterem, caetera in notis accurate indicarem: tamen bis accidit, ut Codicis lectiones a Burneio expressas §. 244. p. 170. ἀμάξης cum ἁμάξαις et §. 61. p. 273. ζητῶν cum ζητοῦν tacite commutarem. Animadversiones hae meae textui subiectae, etsi praeter lectionis varietatem nihil iis contineri primum instituebam, tamen, ut fit, inter scribendum tantam in molem paullatim succreverunt, ut quod principio laboris sedulo fugerim, iam verendum mihi sit, ne studiose captasse videar. Nam occurentibus quasi inter viam argumentis, qui

bus Philemonis praecepta aut confirmari aut infringi poterant, non ubivis a me impetravi, ut ea quae haud quaesita se offerrent reiicerem: quo factum ut quum a primitivo consilio semel recessi, etiam ultra iusti commentarii fines migrarem inque res evagarer, quae aptiorem alibi locum invenissent: neque iam evitari poterat, quo minus hic parcus, nimius illic viderer. Attamen quae Lexicis Graecis augendis corrigendisve passim, ubi non semper exspectasses, a me adlata sunt, ea in notis Lexico scriptis proferri, recordatus minus gravabere. Nostrum enim esse putavimus, ubi quid Lexicis amplificandis e contextu scriptoris a nobis editi redundare visum sit, diligenter animadvertere: in quo labore quae vocabula meam subterfugerunt animadversionem, hic adnoto: αἰολοπόλος §. 18. p. 14. nisi Grammaticus cum v. αἰολόπωλος ipse confudisse rectius censetur. ἀλυσείδιον §. 96. p. 68. ἀσυνάφετος §. 295. p. 207. δαμαλείδιον §. 96. p. 68. διγράμματος §. 271. p. 191. δυϊκῶς §. 31. p. 23. Δωλώνεια et Δωλωφονία, ἡ §. 62. p. 45. ἐξπηχυστὶ, ἔξπους §. 76. p. 51. ἑταιρίδιον §. 96. p. 68. cui adde Schol. Aristoph. Av. 668. ἰσαστικὸς §. 197. p. 128. ὀλιγαχῶς §. 81. p. 57. ὀρειβάσιος §. 127. p. 86. Ὀρέστεια, ἡ §. 62. p. 45. ὀρίβρομος

§. 127. p. 86. πάρωπον §. 253. p. 176. nisi potius παρώπιον legendum. πασσαλεῖον §. 70. p. 49. cui iungas Etymol. M. p. 323, 10. πεντέμηνος §. 76. p. 51. πλεισταχῶς §. 81. p. 57. πλευρὰξ §. 13. p. 11. nec non Etymol. M. p. 395, 15. πνευματοποιὸς §. 164. p. 109. σηριγγώδης et σήριγξ §. 182. p. 117. στῴδιον §. 93. p. 67. τετράζευκτος §. 318. p. 220. Τηλεγόνεια, ἡ §. 62. p. 45. τυροψύκτης §. 224. p. 153. ὑπερεξαναδύω §. 192. p. 122. χέρνιπτρον §. 286. p. 200. Lexicis etiam festorum nomen, τὰ Ἀλέαια, ex §. 105. p. 72. accedit. Hoc loco simul verbum addendum videtur iis quae ad §. 70. p. 48. de v. a nobis proscripta ἐντύπωμα monita sunt. Vidimus enim posthac a Schneidero in Lexici editione novissima huic voci auctoritatem Agatharchidis apponi, cuius verba ipsa describo, ut an vox suspicione libera omnino sit, ipse iudices: de rubro mari p. 59. ed. Hudson. Geog. minor. T. 1. οὐ γάρ ἐστιν οὐκ ἔστιν [quae duo postrema operis tribuenda videntur] οὐ λιμὴν εὔορμος, οὐ σάλος ἐπ᾽ ἀγκύρας, οὐ κόλπος ἐπισκεπὴς, οὐ χηλῆς ἐντύπωμα, ἀναγκαία καταφυγή.

Caeterum intra ipsum tempus, quo liber aliquis typis describitur, uti nonnulla auctori occurrere solent, quae sciens haud omisisset,

etsi omissa magnopere non desideret, ita non potest fieri quin etiam eius generis omissa vel commissa ab auctore animadvertantur, quae quum sententiae calculum vel addant vel demant, non sine dispendio operis reticentur. Quare quae huius generis licet minutiora mihi se obtulere vel addenda vel retractanda, hic subnotavi:

P. 17. Quod plerisque recte fecisse videbor, ut Suidae εἰσὶ pro ὦσι reddiderim, mihi nunc displicet persuaso, de Coniunctivo post εἰ recte posito in huius generis scriptoribus dubitandum non esse: itaque in Philemone §. 36. p. 249. εἰ μὲν ὦσι reliqui, atque vereor, ne editores de hac particulae εἰ structura inconsultius usque quam verius iudicarint. Atque etiam antiquioribus aetatis a lingua purissimae scriptoribus hunc Coniunctivi usum non posse non concedi tandem intellectum est, ipsoque Hermanno ad Sophoclis Aiacem 491. sententiam antea in diss. *de praeceptis quibusdam Atticistarum* p. VIII. seq. prolatam mutante: v. Creuzeri Meletematum fasc. 3. p. 24. seq. Futuro igitur Sophoclis editori εἰ pro ἦν in Oed. T. 199. 863. Erf. iubente ipso codicum consensu restituendum erit. Fatendum tamen rei penitus absolvendae etiam acutiori reco-

gnitione opus esse, praesertim quum de discrimine nondum satis expositum sit, quo εἰ et ἤν Coniunctivum sibi uterque vindicent.

P. 41. Sententiam de delenda v. νηφαλέος latam quum ipse Barkerus in Addendis ad Aristarchum suum p. 112. retractarit, non debebat vir eruditissimus erroris a me redargui. Rei conficiendae nunc satis habeo Herodiani περὶ μονήρους λέξεως fragmentum attulisse, paucis ante mensibus e cod. Taurinensi erutum a Peyrono *Notitia Codd. Taurinensium* p. 33. seq. ubi de accentu huius generis Adiectivorum fuse disputatum est.

P. 45. §. 62. in textu relictum est me invito παροξύνονται pro προπαροξύνονται.

P. 69. De Oraculo apud Herodotum plenius obvio adeas Creuzeri *Commentationum Herodotearum* P. 1. p. 279. seq.

P. 77. Restituto a nobis Lycurgi orationis loco nunc laetor auctoritatem addi e codice Vratislaviensi praestantissimo, cuius variantes lectiones diligenter excerptae his ipsis diebus oblatae mihi sunt benevolentia Friderici Schaubii, in gymnasio Vratislaviensi litterar. antiquar. Professoris, cuius erga me liberalitas ampliori laude aliquando dicenda erit. Nempe hic codex alios oratores Graecorum minores

continens * Lycurgi locum sic exhibet, οὔτε τεθνεὼς, δικαίως ἂν αὐτῆς μετάσχοι, μονώτατος ἂν προσηκόντως, in reliquis a vulgata nihil recedens: quae lectio etsi oratoris manum non reddit, tamen scripturam aliorum codicum ope erutam satis confirmat. Etiam quam lectionem alio Lycurgi loco p. 95. vindicavimus, addo in Vratislaviensi quoque reperiri.

P. 92. Non afferenda erat auctoritas Euripidei fragmenti parieti Herculanensi adpicti, quum versum hunc nescio cui nostrae aetatis homini deberi non amplius dubitetur: v. de Murr. *Specimina antiquissima scripturae tenuioris seu cursivae ante Titi Vespasiani tempora.* Norimbergae 1792. p. 3. Akerblad. *Iscrizione Greca sopra una lamina di piombo, trovata nelle vicinanze di Atene.* Roma 1813. p. 40. seq. Quod ideo adnoto, quum eundem errorem, in quem ipse inciderim, etiamdum alibi propagari animadvertam **.

* Copiose de h. cod. admodum disseruit Franc. Passovius in Prolusione ad diem natalem Frid. Guilielmi III. regis Borussor. in universitate Vratislav. celebrandum scripta 1820., ubi *praemissae sunt symbolae criticae in scriptores Graecos et Romanos e codd. MSS. Vratislav. depromptae.*

** V. Winckelmanni Hist. Art. T. 8. p. 361. ed. recentiss., et Göttling *Lehre vom Accent der griechischen Sprache* p. IX. ed. sec.

P. 116. Aristophanis e fabula deperdita versum

ἅλις, σορέλλην, καὶ μύρον καὶ ταινίαι,

quum quid poeta voluerit, obscuro unius versus fragmento nonnisi temerarius quis se scire autumet, non erat quod mutatione tentarent Britanni duo, Petr. Elmsleius ad Acharn. 716. et G. B. in *Classical Iournal* 1820. fasc. XLIII. p. 219. 220., uterque ἅλις substantivi nominativo iungi recte posse negantes: id quod doceri potuissent a Valckenario ad Phren. 1241. p. 376.

Denique quae §. 291. p. 204. apud Philemonem leguntur verba ζωμόν τε φέρει ἐν χοῒ χρυσῇ, iam non dubito quin eiecto ἐν pro hexametri particula sint habenda, quae ex epico carmine deperdito afferri videatur.

His tandem peroratis restat, ut eorum, quae huic Philemonis Lexico iterum edito aliunde accesserunt adornando, ratio diligenter exponatur. Quae inter primo loco dicendum est de Lexici Philemonis nomine inscripti fragmento, quod an cum Nostro commune aliquid habeat, ut pernegari prorsus, ita affirmari maiore iure haud potest: quum tamen, quominus pro Nostri opere habeatur, caussa nulla intercedat, haud dissentientem sibi is

me habebit, qui fragmentum illud Nostro vindicare velit. Quare quod quum Florentiae versarer, casu invenerim, etsi haud multa eo fragmento contineri, quae non alibi constarent, probe intelligebam, tamen non potui a me impetrare, ut prorsus delitescere in suo latibulo sinerem, praesertim quum ei inesse quaedam viderem, quibus Moeridis et Thomae M. de Attica dictione praecepta vel corrigerentur, vel augerentur. Servatur hic codex litteris admodum minutis in charta minoris formae scriptus, in bibliotheca Laurentiana numeratus X. plutei LXXXXI., a cuius fol. 93. *verso* seq. post alia quae Bandinius * in-

* Ingratum laborem haud arbitratus sum me susceturum, si in transcursu alia huius codicis contenta a Bandinio praetermissa hic adnotarem. Ita fol. 141. seq. leguntur e Lycophronis Cassandra versus aliquot ab 166. cum uberrimo scholiasta in margine, quos indicare Bandinius ideo neglexisse videtur, quod inspriptione in codice carerent. Mox fol. 175. exstant apospasmatia tria e Philostrati de vita Apollonii Tyan. libris decerpta, haud magis a Bandinio recognita, itidem indicio auctoris et operis carentia: nimirum ex 4, 25. p. 164. Olear. quae de Menippo narrantur, in cod. his a vulgata diversis incipientia: *Μενιππος ὁ Λύκιος γνώριμος ἦν Ἀπολλωνίῳ τῷ Τυανεῖ, ἐτῶν μὲν γεγονὼς πέντε καὶ ἡ, γνώμης δὲ ἱκανῶς ἔχων* etc. Altero ex eiusdem libri capite praecedente continetur historiola de irrito Neronis labore Isthmum Corinthiacum perfodiendi; tertio, quae de Apollonii expeditione in Aegypto Philostratus tradit, a libri

dicavit, hoc fragmentum Philemoni in fronte adscriptum reperitur.

De codicibus, e quibus in notis passim inedita Lexicorum fragmenta adponúntur, accuratior tum sermo habebitur, quum ipsa integra Lexica cum aliis nonnullis e variis Germaniae, Galliae, Italiae bibliothecis a me descripta uno tanquam Lexicorum corpore in lucem emittentur: quod spero mox futurum. Epimetris a fine adiectis is qui Prolegomena legit, locum hic dari non mirabitur. Denique addendum notas in Philemonis Lexicon auctore Britanno anonymo (Carolo Iac. Blomfield, nisi coniectura fallit) editas in *Museo Critico Cantabr.* T. 1. et 2., ad quarum calcem sigla R. W. adposita est, quum frugi esse viderentur, omniaque Philemonem spectantia simul hac in editione contineri vellem, integras in notis nominato ubique auctore repetendas curavi,

sexti initio usque ad capitis 2. haec verba, quae hinc describo, quo codicum lectio ab Oleario male reiecta auctori vindicetur, p. 230. *οἱ δὲ τὰ ὅρια τῶν ἠπείρων οἰκοῦντες, οὔπω μέλανες, ἀλλὰ ὁμόφυλοι τὸ χρῶμα· μιλαίνονται γὰρ οἱ μὲν ἧττον Αἰθιόπων, οἱ δὲ μᾶλλον Αἰγυπτίων.* Praeterea etiam commemorare attinet, hanc codicis lectionem auctoritate firmari duorum codicum Paris. Reg. 1696. et 1801. Contra Olearius edidit: *μιλαίνονται γὰρ ἧττον μὲν Αἰθιόπων, μᾶλλον δὲ Αἰγυπτίων.*

perpaucis exceptis, quae locum scriptoris alicuius sisterent et sine dispendio sensus concisius afferri possent.

His quae addam, equidem nihil habeo nisi id ipsum, aequis iudicibus operam meam haud prorsus displicituram enixe me optare, cum Seneca dicentem: *Exigo a me non ut optimis par sim, sed ut malis melior. Hoc mihi satis est, quotidie aliquid ex vitiis meis demere, et errores meos obiurgare.*

Scribebam Berolini mense Februario exeunte MDCCCXXI

PHILE-

PHILEMONIS

LEXICON TECHNOLOGICVM.

ΦΙΛΗΜΟΝΟΣ

ΛΕΞΙΚΟΝ ΤΕΧΝΟΛΟΓΙΚΟΝ.

Ἐπεὶ δέ σοι, ὦ Ἀντίφανες, ἡ τοῦ Ἀλεξανδρέως Ὑπερεσχίου ὀνομάτων Τεχνολογία κανονικῶς συντεθεῖσα, οὐ διὰ τὸ κομψὸν τοῦ λόγου καὶ συντομώτατον, εἰ καὶ χαλεπὸν, ἀλλὰ διὰ τὸ συγκεχυμένον καὶ μεθοδείας ἄνευ, οὐκ ἤρεσεν, μήτε μετ'

Ἐπεὶ δέ σοι etc.] Totam Philemonis praefatiunculam primus edidit Villoisonus ad Apollon. Lex. Hom. p. LXVIII., unde recudi iussit Schneiderus in libro *Philologische Bibliothek* a Walchio Gottingae edito a. 1773. vol. 2. fasc. 6. p. 522. Denique eam repetiit Censor Britannus in *Classical Journal* vol. 7. p. 39.

τοῦ Ἀλεξανδρέως Ὑπερεσχίου] De eo adeas Prolegomena. Caeterum nominibus auctorum citandorum propriis praeponi nonnusquam cognomen, ut hoc loco, docte annotavit Werferus in Thierschii *Actis Phil. Monac.* vol. 2. fasc. 4. p. 551. Mox Burneius praeter Codicis fidem περὶ ὀνομάτων dedit, quod miror etiam a Villoisono l. c. editum esse.

ἐπιμελείας διεξελθεῖν αὐτὴν ἠβουλήθης· ἔγνων σύνταγμά τι κατὰ στοιχεῖον, οἱονεὶ Λεξικὸν τῶν ὀκτὼ μερῶν τοῦ λόγου, σύνταξιν καὶ τεχνολογίαν τινὰ Γραμματικῆς περιέχον ἐγχειρίσαι σοι· δι' οὗ, βραχέος τε καὶ ἀκόμψου ὄντος, δυνήσῃ πολλὰς συντάξεις τῶν ὀνομάτων, καὶ τῶν καθεξῆς ὀκτὼ τοῦ λόγου μερῶν παραγωγάς τε καὶ κανόνας, σχηματισμούς τε καὶ κλίσεις ῥᾳδίως εἰδέναι· καὶ ὅλως, δι' αὐτοῦ τὸ σόλοικον καὶ ἄκυρον τῶν λέξεων διώξεις, καὶ ἐκλογὴν πολλῶν μαθήσῃ.

ἈΡΧΗ῾ ΤΩ͂Ν ὈΝΟΜΆΤΩΝ.

Α.

1. ᾽ΑΒΛΉΣ· ὁ κακόβλητος, ἢ ὁ μήπω βληθεὶς, ἤτοι ἀφεθεὶς ὀϊστός· κλίνεται ἀβλῆτος. τὰ γὰρ εἰς σ̄ λήγοντα ὀξύτονα, σύνθετα ἀπὸ ῥημάτων γινόμενα, μίαν συλλαβὴν φυλάττοντα τοῦ παθητικοῦ παρακειμένου, διὰ καθαροῦ τοῦ τος κλίνονται, εἴτε εἰς ως, ἢ εἰς ης, ἢ εἰς ας λήγωσιν, οἷον κέκραται, χαλκοκρὰς χαλκόκρατος· βέβληται, ἀβλὴς ἀβλῆτος· τέτρωται, ἀτρὼς ἀτρῶτος.

2. ᾽ΑΓΚΥΛΌΜΗΤΙΣ καὶ ΠΟΙΚΙΛΌΜΗΤΙΣ καὶ ΔΟΛΌΜΗΤΙΣ· διὰ τοῦ ῑ γράφεται, καὶ κλίσιν οὐκ ἰδίαν ἔχει. κλίνεται δ᾽ ὅμως ἀγκυλομήτου, καὶ δολομήτου· ἑτεροκλίτως, ὡς πρέσβυς πρεσβύτου.

3. ᾽ΑΓΝΩΤΑ· ἀπὸ τοῦ ἄγνωτος· οὐ γὰρ παρασχηματίζεται ἀπὸ τοῦ ἀγνὼς εἰς οὐδέτερον γέ-

1. Phavorinus v. ἀβλὴς ὀϊστὸς p. 5,58. ed. Basilcensis 1538. Etymol. M. p. 3,35.

ἢ εἰς ης] Etym. et Phav. εἴτε εἰς ης, quod praestare monet R. W in *Mus. Crit. Cantabr.* vol. 1. p. 126.

2. Phavorin. v. ἀγκυλόμητις p. 20,34.

3. Phavor. h. v. p. 23,11.

παρασχηματίζεται] Codex παρεσχηματίζει: vide, ne multa, §. 7. Quae terminatio finalis non semel editores

νος. Ἀριστοφάνης ἐν Βατράχοις· ῥήματα ἄγνωτα τοῖς θεωμένοις.

4. ΑΙΓΙΛΙΨ ΠΕΤΡΑ· δυτανάβατος, ἢ καὶ ὑπὸ αἰγὸς λείπεται· ἧς ἡ λήγουσα διὰ τοῦ ῑ γράφεται, ἐπεὶ μηδέποτε πρὸ τῶν διπλῶν εὑρίσκεται δίφθογγος.

5. ΑΙΔΟΙΕΣΤΑΤΟΣ· ποιητικὸν, καὶ ἔστι κατ' ἔθος Ἰώνων. τὰ γὰρ διὰ τοῦ ō συγκριτικὰ διὰ τοῦ ēς προφέρουσιν, οἷον αἰδοιέστερος, αἰδοιέστατος· δικαιέστερος, δικαιέστατος· ὁμοίως καὶ ἀρχαιέστερος, ἀρχαιέστατος· ὤφειλε γὰρ τὰ τοιαῦτα εἶναι δικαιότερος, αἰδοιότερος, ἀρχαιότερος· ὁμοίως καὶ τὰ τούτων ὑπερθετικά.

elusit, veluti in Etymol. M. p. 805,48., ubi προπερισπᾷ habes.

Ἀριστοφάνης ἐν Βατρ.] 957., ubi observationem hanc grammaticam Herodiano deberi annotavit Scholiasta. R. W. in *Mus. Crit. Cantabr.* l. c.

4. Phavor. v. αἰγίλιψ p. 58,20. R. W. in *Mus. Crit. Cantabr.* vol. 1. p. 197. „Consulendus Heinsius in Crepundiis Silianis p. 17. „αἰγίλιψ πετρα dicitur Homero ita excelsa, ut eam proceliae petere non possint, quod pace omnium Grammaticorum dictum volui, qui αἴξ in compositione illa pro animali accipiunt. Hesychius αἶγες, τὰ κύματα, Δωριεῖς.“ Adeas quoque Cangium in Gloss. Graec. Addend. p. 10.“

ἧς] Ita Codex pro edito ᾗ, qui vitiose mox βιβλῶν pro διπλῶν.

5. Phav. v. αἰδοιέστατον p. 61,34. Uberiora dat Etymol. M. p. 31,5, qui sua se a Philoxeno mutuatum esse narrat.

6. Α'ΙΔΩ'Σ· ἡ εὐλάβεια, ἐν τῇ ὀνομαστικῇ ὀξύνεται, ὡς Σαπφώ· ἐν τῇ αἰτιατικῇ δὲ περισπᾶται. οὐ γὰρ πτωτικόν ἐστι τὸ ῶ, ἀλλ' ἀπὸ κράσεως· ἤτοι ἀπὸ τοῦ αἰδόα, αἰδῶ.

7. Α'ΙΘΙΟΠΕΥ'Σ· κατὰ προσχηματισμὸν ὁ Αἰθίοψ, ὡς ἀπὸ τοῦ Ἀλκαῖος Ἀλκεὺς, ἀφ' οὗ καὶ Ἀλκείδης, ὁ Ἡρακλῆς· οὐ μόνον δὲ εἰς εὺς, ἀλλὰ καὶ εἰς ης μετάσχηματίζεται πολλὰ ὀνόματα ἑτέραν ἔχοντα κατάληξιν, ὡς ὁ ποιητὴς τὸν Πάτροκλον λέγει Πατροκλῆν· καὶ ἐφ' ἑτέρων· ὁ Ἐτεοκλῆς δὲ λέγεται καὶ Ἐτέοκλος· μᾶλλον δὲ λέγε Ἐτεοκλῆς·

6. Phavor. v. *αἰδῶ* p. 62,38. Etymol. M. p. 30,40. e Philemone corrigendi. R. W. in *Mus. Crit. Cantabr.* vol. 1. p. 126. „Discimus ex Schol. Venet. ad Iliad. B. 262. Aristarchum *αἰδῶ*, *ἠῶ* circumflexe scripsisse, Dionysium vero Sidonium oxytone. Pamphilus omnes id genus accusativos circumflectebat, Dionysius Thra. Aristarchum culpat, qui *αἰδῶ* et *ἠῶ* circumflexe scripserit, alia vero oxytone, Πυθώ, Λητώ. Vide etiam ad Iliad. I. 240."

7. Phavor. v. *Αἰθιοπῆας* p. 65,5. „Huius articuli rectius apud Phavorinum constituitur, *Αἰθιοπῆας*. *Αἰθίοψ, καὶ κατὰ μετασχηματισμὸν Αἰθιοπεύς*. Nempe respicitur Ilias A. v. 423." R. W. in *Mus. Crit. Cantabr.* vol. 1. p. 126. Nihil tamen mutavimus.

Πατροκλῆν] Habes Iliad. ρ, 670. Odyss. λ, 467. Πατροκλῆος, et alibi.

